



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

57. Henricus, eiusdem Godefridi Barbati Ducis filius, in Affligemiensi Benedictinorum coenobio, monachum induit, & varia praedia eidem coenobio donat, circa an. 1140.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

Ottoni in Comitatu Louaniensi successit, vt citato loco in Stemmatibus Belgicis fufius legitur.

QVI REGIT.) Vnebat ergo adhuc auctor sub Baldrico.

TROICA.) Vt Hispani, Veneti in Italia, Aruerni in Gallia, Massesyli in Africa, & alij populi ausi Latios se fingere fratres sanguine ab Iliaco; sic & Franci nostrique Belgæ propaginem à Trojanis olim repetebant, nec sine patricinio: quoniam cum turba insaniebant. De his rebus alibi.

C A P V T L V I I.

Henricus, Godefridi Barbati Lotharingia Brabantiaque Ducis filius, in Affligemiensi Benedictinorum cœnobio, monachum induit, & varia pradia eidem cœnobio donat.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Notum fit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd ego HENRICVS, filius Godefridi Ducis Lotharingiæ & Comitis Louanij, ob declinandas miserandas & ærumnosas huius sæculi procellas, ad monasterium Affligemense, quasi portum salutis, confugi,

Vbi Deo & SS. Apostolis eius Petro & Paulo, sub præsentia domini Petri Abbatis & totius congregationis, adstantibus hominibus meis, meipsum in monachum offerens, allodium quod apud *Sichne & Rode*, iuxta *VVerde*, ex patre meo me liberè continebat, & commune cum fratre meo Duce Godefrido, patris mei successore, possidebam, in aquis & pascuis, in campis & siluis, & in omnibus ad ius nostrum pertinentibus, pro anima patris mei, & matris meæ, & CLARITIÆ sororis nostræ, & pro meipso, & pro prædicto fratre meo Duce GODEFRIDO, & sororibus meis ALBIDE Regina Angliæ, & IDA Comitissa, & pro omnibus parentibus & amicis in elemosyna tradidi.

N O T A T I O N E S.

HENRICVS) obiit Conuersus, vt loquuntur, in monasterio Affligemensi an, 1141. vt in vetustissimo codice Parcensis Abbatia legitur.

P 3

SICHNE,

SICHNE) Sichenæ seu Sichemium est Brabantia opidulum, cui vicinus est Collis asper, vulgò Acutus, Gallis *Mont aigu*, Flandris *Schenpenheuel*: qui locus, beneficio Dei ac Deiparæ, plurimis miraculis nostra ætate inclaruit. Vide Lipsium de Diua Virgine Aspricolle.

ALBIDIS) fuit Henrici Angliæ Regis coniux, sepultra Atlligemij cum patre.

IDA) N. Comiti Cliuensi nupsit.

CLARITIA) obiit innupta: vide Stemmata nostra Belgica, cap. 14.

CAPVT LVIII.

Baldvinus Ardensis toparcha Ardense Canoniorum secularium collegium ab auo suo Arnulpho fundatum, vertit in Canoniorum regularium ord. Pramonstratensis Abbatiam an. 1144.

Vniuersa sanctæ matris Ecclesiæ filijs, BALDVINVS Dei permissione heres & dominus Ardeæ, ecclesiæque S. Audomari Ardensis dictus Præpositus, salutem in perpetuum.

Quod ad cultum Dei, & ad reuerentiolem sanctæ Dei Ecclesiæ honorem conuenire dignoscitur, omnimodè executioni, in quantum sufficimus, promouere necessarium duximus & saluberrimum.

Vnde cum Præpositura Ardensis ecclesiæ nobis hereditario iure successit habenda, hinc clericorum seu Canoniorum in eadem ecclesia seruientium considerantes negligentiam, hinc periculum, & æternum animæ pensantes excidium, eò quòd Præpositura ecclesiastica dispensanda & manu laicali disponenda (nisi nos vani docuere parentes) salutiferè nobis nullatenus accidere queat, quædam altiora super Ardensis ecclesiæ statu, altiore consilio, destinauimus.

Accepto itaque super eiusdem ordinatione Ecclesiæ diuino responso, sanoque consilio à Domino MILONE Morinensis ecclesiæ Episcopo, & Abbatibus, & multis ecclesiasticis personis, & laicibus Ardensis opidi, paribus & veteranis Morinensis ecclesiæ, non minus, quàm Ardensi Capitulo annuente, & beniuolum assensum præbente, concessimus, & in quietam possessionem dedimus venerabili Abbati Theoderico & monachis S. Mariæ de Capella, in villa antiquo nomine Brugnam dicta degentibus, & eorum successoribus,
omnia